



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Regii Fontis elegans & præclarum monasterium, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

sciplina captus, mox domum reversus ex hac ipsa præpositura sua S. Augustini Prioratum fecit. Huic præfuerunt ab ea reformatione ad hæc nostra usq; tempora Priores subscripti.

1. *Joannes Herdenius*, Magister artium, Francus & Freidenburgi Franciæ orientalis oppido ad Mœnum supra Miltenburgum sito natus, assumitur ex Cerasorum horti cœnobio anno Domini 1458. Præfuit annis 25. & anno 1483. peste graviter in omni vicinia grassante correptus obiit. Sepelitur ante chorum cum duobus fratribus, eodem tempore peste absuntis.

2. *Joannes de Moguntia*, vir prudensissimus, successit. Præfuit annis 12. & aliquot mensibus. Obit anno 1496. in die D. Erhardi. Sub hoc Priore ingressus est cœnobium hoc ipsum D. Chilianus Leib, quartus hujus cœnobii reformati rector anno 1486. in Divi Andreae profesto, anno ætatis 16.

3. *Michaël Francus*, Bergensis, prope Geiern arcem natus, præfuit annis septē penè. Obit anno Domini 1503. ipsa die Julianæ, Februarii mense. Fuit egregius & admodū religiosus vir. Sepelitur in sacello D. Annæ, cum Priore Joanne Moguntino.

4. *Chilianus Leib*, ex Ostrofrancorū Bosphoro, vulgo Ochsenfurt, natus, vir in literis & linguis multipliciter doctus, successit anno 1503. in die S. Perpetuæ & Felicitatis. Præest adhuc hoc Jubilæo 1550. ætatis vero suæ anno 80. Vidit bella, Bavaricum, Rusticum & Germanicum, quæ omnia copiose descripsit, alioquin etiam vere polygraphus, rector sui monasterii longe utilissimus.

Est ad eundem fluvium Almonum paululum infra hoc monasterium monialium etiam & regularium Canonissarum labore ferè suo victantium elegans monasteriolum Mariani lapidis cognomento nobilitatum. Id anno Domini 1470. à Guilielmo, Episcopo Eichstetensi, inchoatum, piorum hominum elemosynis postea auctum & adjutum est.

REGII Fontis elegans & præclarum monasterium, ordinis D. Bernardi vel Cisterciensis, dioceseos Constantiensis, sub visitatione Salemitana, in Brentiana valle prope Brentii amnis

mnis & Pfeferii rivi pulcherrimos amplissimosq; fontes, & in ipso Pfeferii insignis rivi cum Brentio amne coitu, duobus brevibus milliariibus supra Giengam Imperiale oppidum, uno vero ab Ala Imperiali civitatula, tribus à Nordlingiaco, totidemque à Heuppach. Suevorum Gamundia (ubi medio itinere est Heuppachium oppidulum, de quo per jocum dicitur, quod lupus Scultetum in medio illic foro devoravit) loco profecto & ameno & maxime salubri, utque breviter omnia dicam, vere Paradisiaco situm, in spaciola eademque cultissima valle, ut Cisterciensia ferè cenobia omnia:

Semper enim Valles, sylvestribus undiq; cinctas

Arboribus, Divus Bernhardus amœnâq; prata

Et stuvios: juga sed Benedictus amabat & arces

Cælo surgentes, è quarum vertice late

Prospectus petitur. Secessum plebis uterq;:

Sacrarum scripturarum studiosus uterq;,

Musarum & Phœbi: non quem colit ethnica turba,

Sed quem Christicolæ natum de Virgine credunt.

Id inquam amœnissimum monasterium, fundatum est in honorem B. Mariæ Virginis, & S. Bernhardi Abbatis anno Domini 1302. ab Imperatore Romanorum, Alberto Austro, Imp. Rodolphi Habsburgii filio & in Imperii gubernatione successore: ejusq; laudatissima conthorali, Domina Elisabetha, Charinthiæ Ducissa. De hac fundatione extant varia hinc inde cenobii parietibus inscripta epigrammata, quæ huic descriptioni inferere libuit; ea vero talia sunt:

Prope summam arant.

Anno milleno, tercenteno, adde secundum,

Inclytus Albertus, Romane gloria gentis,

Rex Duxq; Australi noto de sanguine natus:

Elisabet conjuxq;, Ducum Charinthia proles,

Addunt ecce manus fortes, ut regia Regis

Fundamenta locent Fontis, quo cetera manant.

Pro meritis tantis sit parva quies ut eorum

Sphitui ante Deum, lector, precibus rogitato.

Aliud

Aliud hujus foundationis elogium.

Regius hic fons est, quem primum ab origine *virva*
Austrius Albertus Romanorum optimus ille
Rex simul & Pater eduxit cum conjuge fida.
Cœnobium conjunxit idem prædite censu,
Ditior ut superas tandem conscenderet oras.

Aliud ejusdem encomion.

Mille sibi Titan consecerat aureus orbes,
 Saturnus decies, Jupiter atq; semel,
 Cum Christus natus pura de Virgine nobis
 Prodiit in lucem regulæ, ætq; suis.
 Laudibus ecce potens Albertus, prole creatus
 Pannonia, magni rex pius imperii:
 Et sata stirpe Ducum Elisabeth, justissima conjux,
 Quæ Charinthiaca gente creata fuit,
 Fundamenta locant Regis de nomine dicta;
 Regia Crene aderat cœnobiumq; simul.
 Hinc domus illa Dei Regina dicitur almæ
 Bernhar dog, pio Numinibusq; piis.

Id est, anno Domini 1302. Sol enim secundum Astronomorū doctrinam in unius anni, Saturnus in 30. annorum, Jupiter in duorum spatiosum cursum absolvunt.

De hac ipsa foundatione ego etiam currente hoc Jubileo tale lusi epigramma, cui per literas numerum Romanum designantes annus foundationis insertus est.

Regi V s HIC fons est, ALBERTO à rege potente
 A DVCE ConstrVctV s, Pannonia terra, tVo,
 IpsIV s & generosa & honesta ConIVge ELyfa:
 EternI qVæ sVnt Corpora honesta PoLL.

Est in hujus monasterii vicinia, & recte è regione ejus ultra Brentium fluviolum, saxum quoddam excelsum, undiquaque arboribus cinctum & singulari quasi religione conspicuum: in eo dicitur fuisse antiquitus castrum Heerwardtstein, quod à Comitibus Helfensteinensibus cum circumjacente territorio emerat pro construenda domo Dei Albertus, Dux Austriae & Romano-rum Rex, primarius hujus loci fundator. Sunt prope Regii hu-

Fontes
memora-
biles cir-
ca fontem
Regium

Fontis cœnobium quatuor insignes & amplissimi fontes lacuum instar: primus & præcipuus Brentii amnis, ducentis passibus à cœnobio. Secundus Pferrii centum passibus, in quem si conjiciatur peregrinus & aliunde allatus piscis, excæcari illico solet. Tertius Cochius dicitur. Ex eo enim Cochius fluviolus (à quo vicina quædam Sueviæ pars nomen accipit, das Cochetal) nascitur. Quartus anonymus est, quo fluente charistia futura & annonæ difficultas portendi ac significari creditur. Fluxit vero parumper hoc corrente Jubileo, quo Astrologi etiam sequentem annum steriliorem futurum interminati sunt. Catalogum ejusdem loci Abbatum talem ibi inveni ac excepi, cum videndæ amœnissimæ Paradisi ejus ergo superiore anno ad Comitia Augustana iturus accessissem.

Catalogus
abbatum.

1. *Henricus*, de Salem vel Salomonis villa assumptus, primus constituitur Abbas Regii hujus Fontis anno Domini 1302. sed quàm diu is rerum potitus sit, non inveno.

2. *Marquardus*.

3. *Bertholdus*.

4. *Henricus Hubmannus*.

5. *Fridericus*.

6. *Joannes*, de quibus omnibus nihil scriptum repperi.

7. *Alwigus* præfuit 4. tantum hebdomadis. Amplius enim nec de ipso quicquam habetur in literas vel fastos relatam.

8. *Nicolaus*, cognomento Ungarus, patria Ravenspurgius, resignavit, sed quo anno, ignoratur.

9. *Joannes de Rinderbach*, vir nobilis, interfuit Concilio Constantiensi, à quo cum rediisset, reddidit Abbatiam his, à quibus ad eam capeffendam antea persuasus fuerat.

10. *Hildebrandus de Salomonis* villa assumptus est anno 1426. Præfuit annis 36. Fuit Abbas Infulatus, quod Romæ pro se tantum obtinuit. Resignavit anno salutis 1462.

11. *Petrus Stock*, ex Salemitano cœnobio accitus, post confectum bellum civile, inter civitates & Principes Imperii gestum, in quo misere vastatum & expoliatum fuerat cœnobium, sex tantum præfuit septimanis, resignavitque ob maximam cœnobii pau-

pauperiem & annihilationem, seq; iterum ad Salemitanum suum
coenobium recepit anno Dominicæ Incarnationis 1462.

12. *Petrus Susapffel*, ex Nordlingiaco natus, præfedit Abba-
tiæ non inutiliter annis 7. Obiit anno 1469.

13. *Joannes Offelinus*, ex Wemdingo Rhiæfæ oppido natus,
præfuit annis sex. Obiit anno 1475.

14. *Joannes Sporer*, Nordlingensis, sedit ad clavum coenobii
annis sedecim. Deceffit ex hac mortali vita anno Christi 1491. Is
diligenti œconomix administratione, studiosaq; equorum edu-
catione coenobium (cujus res graviter attritæ & in angustum pri-
us adductæ fuerant) præclare instauravit & auxit.

15. *Helias Sengius* successit Sporero. Sedit etiam annis fede-
cim, & anno 1507. reddidit Abbatiam non male à se administra-
tam his, à quibus eam antea acceperat. Ipse privatus adhuc vi-
xit ad annum Christi usq; 1516. quo obiit. Sepelitur in media
Laicorum Ecclesia.

16. *Emeramus*, patrio cognomento *Tbiem* dictus, ex Wem-
dingo etiam natus, eligitur in Abbatem anno Domini 1507. Præ-
fuit laudabiliter annis sex. Resignavit paululum ante obitum
suum, ita uno & eodem tempore tres Abbates supersites essent in
hoc coenobio. Obiit anno Domini 1513. decima Kalendarum
Februarii. Cubat in dextra templi abside prope D. Beatricem, co-
mitissam Schlusfelbergensem. Extant in eius laudes tales versicu-
li, ex quibus, quid præclari construxerit, colligi potest.

Magnificum templum hoc sexenni construit orbe

Ex fundo, claustrum circuituq; colit.

Jungens huic ædi raptim Xenodochia bina,

Annonam cunctam multiplicare valens.

17. *Melchior Ruff*, ex Hochstadio Danubiano oppido natus,
laudabiliter & utilissime præfuit annis 27. Primus intulit ponti-
ficalia ornamenta non pro se tantum, sed & pro successoribus
suis. Primus itaque Abbas hujus loci Infulatus, de quo in tem-
pli choro (ubi terræ parenti redditus est) tale legitur in ipsius per-
petuam memoriam scriptum epigramma:

Mel-

Melchior, Abba monasterii celeberrimus huius,

Ruff cognomen habens, hac sepelitur humo.

Prelatus sapiens, solidus mirator honesti,

Consilio Smentis dexteritate valens.

Comis & Urbanus, dicendo peritus amissim:

Qui modicum cupit rite præesse suis.

Papa proinde Leo decimus gestare tiaram

Hunc (quod erat tali dignus honore) jubet.

Ergo precare Deum, quicumq; precibus, ut ipse

Illius aethera spiritus astræ petat.

Vendidit & decimas & domum monasterii in imperiali oppido Reutlingen octo millibus aureorum, retenta tamen aliqua vinorum decimatione. Construxit vero parte harum pecuniarum ustrinas cœnobio vicinas ad Brentianum fontem, in quibus miro labore ac artificio ferreae fornaces parari solent. Obiit Abbas iste sub finem anni 1539. post cuius discessum cœnobium ab Ulrico, Duce Wirtembergensi (qui ex tutore & advocato raptor jam factus erat) violenter occupatum est.

*Ferrea
fornaces
ubi pa-
rentur.*

18. *Ambrosius Boxlerus, ex Gienga vicino imperiali oppido natus, secundus huius loci Abbas insulatus, vir admodum humanus, eligitur, recuperato cœnobio è manibus Ducis Wirtemberg. per Divum Imper. Carolum ac Regem Ferdinandum, potentissimos fratres, ut veros, fundatores ac tutores an. 1544. Construxit in marca sua Steinenfi magnificam domum eo ipso loco, in quo fuit antiquitus cœnobium: fecit & ad Pseferii fluvioli fontem unam adhuc ustrinam, in qua ferrum liquari solet, quod prope Alam vicinum oppidum Imperiale foditur & ex quo fornaces adornantur. Præsidet feliciter hoc adhuc currente Jubileo, quo in hac vicinia circa finem Julii civile bellū exarserat inter Ulricum Comitem ab Helfenstein & S.P.Q. Ulmensem, eo quod Comitis subditi & Nellingensens agricolæ (qui Ulmensi reipubl. sub- sunt) propter pascuorum utrinq; neglectos terminos inter sese digladiarentur, Ulmenses collecto exercitu octo millium agricola- rum egressi erant, instructi tormentis etiam ac machinis bellicis, quos Comes cunctator nihil admodum curans, dum de colligendo*

gendo tamen equitatu inter cognatos suos, vicinos Comites & Regulos, tacite interea cogitat ac laborat, Imperator interposita autoritate sua, missisq; ex Auguita Vindelicorum (quo habendorum comitiorum ergo venerat) publicis literis, bellum inhibuit, pacemque mandavit magno Ulmenfis Reipubl. commodo. Bellum hoc à finitimis *Caprarum Bellum* (quod propter capras ^{Caprarum bellum.} coepisset) & in Ulmenfium ignominiam, *Pisorum Bellum* vulgatis nominibus, *der Geiß und Schefen-Krieg* nuncupatum est.

ROGKHENBURGUM, Præmonstratensium ordinis magnificentissimum in Suevia cœnobium, duobus milliaribus ab Ulma Sueviæ metropoli, dimidio vero ab oppido Fuggarorum Weiffenhorn situm, ædificari est coeptum año Christi 1126. à Bertholdo, Sifrido & Conrado, germanis fratribus, Comitibus de Bibregk, & à Domina Demutha, Bertholdi Comitissæ conjugæ, quæ Comitissa erat à Zollern. Est in eo celebris sepultura primum fundatorum, postea etiam Dominorum de Asch, imprimis vero Conradi Equitis aurati, & Wolfgangi, utriusque item uxorum ac liberorum. Primi hujus cœnobii gubernatores appellabuntur Præpositi, quorum omnium vix sola supersunt nomina, unde in prolixo carmine (quod 19. ætatis meæ año de Rogkhenburgensium annalibus scripsi) in hunc modum inter cætera lusi:

Præpositos, primos rectores atq; parentes,
Carminè debebam nobilitare meo.

Sed nihil omnino possum decernere certi,
De quibus ipsa etiam Bibliotheca tacet.

Dum nil scripserunt rebus de talibus illi,
Ad quos spectabat plurimum is ipse labor.

Ipsa sepulchra tamen monumenta q; prisca loquuntur,
Bertholdum primum sceptrâ tulisse domus,

Quem de Kinsekho testantur saxa Baronem:
Cetera de vita meq; aliosq; latent.

Præpositos alios taceo, cum sola supersint
Nomina, quæ nihil hic utilitatis habent.

Abbatibus vero ad hæc nostra usq; tempora hi præfuisse leguntur. *Abbatum*
I. Joan-Series.

Bbb

tur.